



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij  
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

**Sánchez, Tomás**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

B.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41559**

B

## Benedictio.

1 **B**enedictiones Ecclesiæ non sunt iterum recipiendæ, quando matrimonium fuit nullum ob occultum impedimentum, & clam convalidatur, *lib. 2. disp. 37. nu. 13.*

2 Benedictiones nuptiales sunt antiquissimæ, & ritus in ipsis consueti convenientissimè ab Ecclesia adhibentur, ad ritè peragendos actus valdè appetitui carnis consonos, ad quos ordinatur matrimonium. Administratio earum solum pertinet ad proprium parochum, vel alium eius licentiâ, vel Ordinarij, non obstanti quacumque immemorabili consuetudine, aut privilegio. Et si aliquis, siue secularis, siue regularis ausus fuerit impertiri benedictiones alterius parochiæ spõsis, siue parochi, vel Ordinarij licentiâ, manet ipso iure suspensus tamdiu, quamdiu ab Ordinario eius parochi, a quo benedictio suscipienda erat, absoluitur, *lib. 7. disp. 82. n. 1. & 2.* Et ad dandas has benedictiones sufficit parochus vtriusvis contrahentis. *ibid. nu. 4.*

3 Benedictionum omissio ex negligentia, si absit contemptus, non est mortale, sed tantum veniale peccatum. Dicitur autem ex contemptu eas omittere, quando quispiam perinde eas nihili facit, ac si essent res vanæ, *lib. 7. disp. 82. nu. 6.*

4 In regno Hispaniæ filij familias coniugati

B 7

iugati

<sup>3</sup>ugari ante susceptionem benedictionum, nō eximuntur à patria potestate, & habet pater retentionē vsusfructus de bonis aduentitijs, & nepos conceptus ante eas susceptas, licet nascatur post eas susceptas, sub aui potestate manet, sed filius, illis susceptis, manet sui iuris, quoad fauorabilia & odiola, *lib. 7. disp. 82. num. 7.*

5 Attento iure Ecclesiastico benedictiones non sunt impertiendæ secundis nuptijs, quando vterque, vel alter coniux in primis nuptijs eas accepit, *lib. 7. disp. 82. nu. 15.* De consuetudine verò hodierna sola secundarum nuptiarum benedictio interdicitur, quando vterque coniux illam suscepit in alio coniugio. Quæ consuetudo non inducit præceptum, Et vt consuetudo legem aboleat, non desideratur scientia Pontificis, sed eo ignorante potest induci, *lib. 7. disp. 82. nu. 15. 20. 23. & 24.*

6 Quando priores nuptiæ, in quibus vterque coniux benedictiones accepit, reperiuntur irritæ, in posterioribus nuptijs non sunt repetendæ benedictiones, *lib. 7. disp. 82. num. 26.* Et clericus benedictionem secundis nuptijs impertiens in casu non permissio, suspendendus ab ordinario. Quæ suspensio non est pœna ordinaria huius delicti; sed arbitraria attentis circumstantijs, quæ grauius, aut leuius reddunt delictum. Et licet absolutio huius suspensionis esset reseruata Summo Pontifici, tamen hodie iam sublata est talis reseruatio

uatio per Extrauag. Conuersationi, *Ioan.* 22. *nondum typis excusam, lib. 7. disput. 82. num. 23. 29. & 30.*

7 Benedictiones iure veteri interdicebantur ab aduentu ad Epiphaniam, à Septuagesima vsque ad Octauam Paschatis, à diebus Rogationum ad Octauam Pentecostes. Sed hodie per *Tri dent. Sess. 24. de matrimonio, ca. 10.* sunt tantum interdictæ ab Aduentu vsque ad Epiphaniam exclusiue, & à feria quarta Cinerum, vsque ad Octauam Paschatis inclusiue. Quæ prohibitio incipit à primis vespers sabbati præcedentis primæ dominicæ Aduentus. In feria autem quarta Cinerum, à media nocte illius feriæ, consuetudine alicuius Ecclesiæ non seruante oppositum, *lib. 7. disput. 7. numer. 1. & 2.*

8 Sacerdos dans benedictiones temporibus prohibitis, peccat mortaliter, & graui penâ arbitrio iudicis plectendus est. Sponsi verò id præceptum transgredientes, sunt separandi ad tempus, sc. dum feriarum tempus durat. Nisi sit periculum incontinentiæ in alterutro coniuge; tunc enim alia pœna iniungenda arbitraria, *ibid. num. 3. 4. & 5.*

9 Episcopus non potest dispensare, vt temporibus prohibitis recipiantur benedictiones de iure ordinario. Secus dicendum in casu urgente, vbi non est recursus ad Summum Pontificem. Tamen in feriarum tempore non prohibentur sponsalia de futuro, nec denuncia-

tionibus, *lib. 7. disp. 7. nu. 6. 7. & 8.* Prohibita est etiam in his temporibus traductio sponsæ in sponsi domum, si aliquantulus sit excessus subventali. Et si fuerit moderata traductio, nulla culpa erit. Dicitur autem traductio solemnibus conuiuium, & vanum lætitiæ signum, *ibid. n. 15. 16. 17. & 18.*

## Beneficium.

1 Beneficium non amittitur per sponsalia de futuro; tamen amittitur per matrimonium validum, etiam nondum consummatum non expectatâ iudicis sententiâ. Nec recuperatur sponsâ proficiente. Amittuntur etiam accessus, regressus, & quælibet alia iura ad beneficium Ecclesiasticum competentia, *lib. 7. disp. 42. à nu. 1. vsque ad 7.*

2 Clericus contrahens matrimonium validum, retinēdo beneficium peccat mortaliter, & tenetur dimittere illud, & potest impetrari tanquam vacans, ac alteri conferri, & tenetur restituere omnes fructus à se post matrimonium initū perceptos; nec potest matrimonio iam contracto resignare beneficium in fauorem tertij, *lib. 7. disputat. 42. à num. 10. vsque ad 3.*

3 Beneficia non amittuntur ipso iure per matrimonium contractum inualidè, quacumque de causa sit nullum: siue eo, quod sit in sacris constitutus, siue ob consanguinitatem, vel aliud impedimentum dirimens, siue scienter, siue ignoranter, siue ex defectu arti-

eis quocunque modo, vel defectu consensus; vel quando est nullum eò, quòd fuit sine parochio. Tandem potest clericus resignare beneficium tertij post matrimonium contractum irritum, antequàm eo priuetur per iudicis sententiam, *lib. 7. disp. 42. à nu. 1. vsque ad 9.*

4 Quicunque coniugatus est incapax beneficij, & etiamsi habeat animum sumendi statim ordines, *l. 7. disp. 42. nu. 14.*

5 Capax est beneficij coniugatus, quando legitima vxoris licentia obtenta, ad sacros ordines promouetur, ipsa sene promittente continentiam, aut iuvene proficiente. Idem dicendum de illo, qui ob vxoris adulteriũ legitimè ad ordines promouetur, *ibid. nu. 16.*

6 Suscipiens, vel recipiens coniugatus beneficium non iuuatur regulã de triennali possessore. Secus dicendum de alijs inhabilibus, vt irregularis, aut excommunicatus, *ibid. n. 15.*

7 Vt coniugatus obtineat beneficium, solum Papa dispensat, siue sit curatum, siue simplex, *ibid. nu. 18.*

8 Beneficia non vacantia ipso iure potest beneficiarius lite pendenti, antequam priuetur, ipsa resignare non obstãre, quòd alius impetrarit, si clericus his priuetur; Et non obstãre ea impetratione, si Episcopus posset dispensare, vt ille delinquens retineret beneficium, non impediretur ea dispensandi facultas, *lib. 6. disp. 42. n. 2.*

9 Coniugatus beneficij incapax, est quoq;

pensionis incapax, nisi sit capax ex dispensatione Pontificis, *lib. 7. disp. 44. nu. 9.*

10 Recipiens beneficium curatum, animo recipiendi sacerdotium intra annum, non tenetur fructus perceptos restituere eo tempore, quo sanam habuit intentionem, quamvis postea mutatâ voluntate non promoueat intra annum. Idem dicendum de recipienti animo non promouendi, & postea voluntate mutatâ intra annum promotus, *lib. 7. disp. 45. nu. 1. 7. 8. & 9.*

11 Qui recepit beneficium curatum, hæsitans an promoueat, aut conditionali intentione, nimirum ascendendi ad ordines tempore sibi iure præfixo, nisi interim scilicet quid sibi contingat, ut mors fiat primogeniti; nõ tenetur fructus restituere, si loquamur de conditionali. Si autem animus sit verè dubius, & hæsitans, secus dicendum, *lib. 7. disp. 45. nu. 10.*

12 Qui recepit beneficium curatum cum intentione promouendi, & postea mutatâ, nõ promotus est, non tenetur fructus perceptos restituere à tempore, quo mutauit intentionem. Item non peccat accipiens illud animo non retinendi in perpetuum, sed donec pinguis fiat, *lib. 7. disp. 45. nu. 11. & 12.*

13 Recipiens beneficium curatum intentione non promouendi intra annum, nec promotus est, tenetur in foro conscientie restituere fructus perceptos eo tempore iniquæ  
volun-

voluntatis: & peccat mortaliter. Attamen statim acquisiuit dominium, etiam durante malâ intentione, *lib. 7. disp. 45. nu. 1. 2. 3. 4. & 5.*

14 Peccat mortaliter, sed non tenetur ad fructus restituendos recipiens beneficiû simplex, cui est annexus ordo sacer, cum animo non sumendi ordines, sed transeundi ad matrimonium. Idem dicendum, si animus sit dubius. Secus si conditionalis. Dicitur autem beneficium, cui annexus est ordo sacer, illud, quod obligat ad onus aliquod petens ordinem sacrum, *lib. 7. disp. 45. nu. 13. 14. & 15.*

15 Beneficium simplex, cui non est annexus ordo sacer, recipiens animo contrahendi matrimonium, non peccat mortaliter, sed tantum venialiter. Idem dicendum de acceptante pensionem eodem animo, *lib. 7. disp. 45. num. 19. & 20.*

16 Collatio beneficij, aut præsentia irrita, confirmatur dispensatione superuenienti, & non indiget aliâ nouâ collatione, aut præsentatione, *lib. 8. disp. 7. nu. 12.*

17 Beneficium principis est latè interpretandum, quando nihil contra ius, sed præter disponit, *lib. 8. disp. 1. nu. 4.*

*Bestialitas.*

1 Bestialitas est causa diuortij. Secus dicendum est, si concubitus sit cum bestia mortua, *lib. 10. disp. 4. nu. 4.*

*Bigamia.*

1 Irregularitas bigamiae fuit inducta propter

pter defectum significationis coniunctionis Christi cum Ecclesia, quæ coniunctio est vnus cum vna. Et cum bigamus cum pluribus contrahit, defectum in matrimonij sacramento patitur, & ideo dicitur ex defectu Sacramenti, *lib. 7. disp. 83. nu. 1.*

2 Triplex est bigamia, alia vera, sc. quoties quis duplex matrimonium legitimum inijt, vtrumq; consummās. Alia interpretatiua, quando vnū, aut vtrūq; ex duob. matrimonijs fuit nullū, consummatis ambobus, vel cum quis ducit non virginem, vel si virginem eam post adulterium cognouit. Alia est similitudinaria, quando in sacris constitutus, aut professus contrahit, ac consummat etiam cum vnica & virgine. *l. 7. disp. 84. nu. 2.*

3 Irregularitas bigamiæ nunquam contrahitur absque matrimonio valido, vel iurito, interueniente in vtroque copula carnali intra vas fœmineum. Intellige in foro conscientia: sc̄cus in externo. Et non requiritur seminatio mulieris; sed sufficit recipere semen ex quacumque arte, licet vas non corrumpatur membro viri, *lib. 7. disp. 83. à nu. 3. vsque ad 7.* Non tamen erit bigamus contrahens cum fœmina ab alio cognita cum copula extra vas, aut Sodomiticè, *ibi nu. 7.*

4 Irregularitas bigamiæ solo iure Pontificio inducta est, ac proinde potest Pontifex in illa dispensare, *lib. 7. disp. 86. nu. 6.*

5 Episcopus non potest dispensare in bigamia

nia vera, vel interpretatiua quoad ordines sacros suscipiendos; secus quoad ordines minores, & quoad vsum susceptorum, & quoad bigamiam interpretatiuam prouenientem ex delicto occulto. Secus dicendum de quacumque alia bigamia vera, vel interpretatiua, licet bigamus ad religionem transeat. Poterit tamen dispensare in vera & interpretatiua, urgente necessitate ministrorum, quando non est via ad Pontificem ratione distantiae regionis. Idem poterit in similitudinaria, quando clericus vel professus contraxit cum vnica & virgine; secus, si cum vidua & corrupta, vel duplex inijt matrimonium; non poterit tamen Episcopus dispensare cum clerico ducente viduam, quoad officium; secus quoad beneficium, *li. 7. disp. 86. à n. 11. vsque ad 23.*

6 In dispensatione bigamiae requiritur explicatio illius specificè, & non satis est dicere esse bigamum. Et item necessarium est facere mentionem bigamiae verae, interpretatiuae, & similitudinariae, si simul concurrant, *lib. 7. disp. 86. num. 24.*

7 Bigamiae irregularitas contrahitur per duplex matrimonium contractum ante baptismum, vel vnum antea & aliud postea, vel vnicum cum corrupta, vel cognoscens uxorem adulteram; quae non tollitur per baptismum, sed manet postea, *lib. 7. disp. 83. à num. 8. vsque ad 10.*

8 Nulla bigamiae irregularitas tollitur per profes-

professionem; demptâ ea, quæ oritur defectu natalium, sc. illegitimus quoad ordines tantum, non vetò quod ad dignitatem, *lib. 7. disp. 86. nu. 2. 3. & 4.*

9 Bigamia interpretatiua dicitur talis, quia deficit à vera, quatenus verè non diuiditur caro in plures. Et quatuor modis inuenitur, 1. per matrimonium duplex, vnum validum & alterum irritum, vel ambo irrita, licèt contrahens ignoraret nullitatem, putans esse verum, 2. per matrimonium cum vidua cognita à primo marito, 3. per matrimonium cum corrupta per fornicationem, 4. copulam carnalem cum vxore ducta à se virgine post adulterium ab illa factum, licèt ab illo non sciatur illud, *lib. 7. disput. 84. nu. 1. 2. 6. & 15.*

10 Irregularitas interpretatiua non contrahitur, quando quis ducit virginem, putans eam esse corruptam, *lib. 7. disp. 84. nu. 8.* Item non est irregularis corruptus ducens virginem, nec ducens vxorem viduam, vel fornicariè cognitam inualidè propter aliquod impedimentum, licèt sit validum iuxta præsumptionem Ecclesiæ. Item non est irregularis ducens fœminam à se solo defloratam, *lib. 7. disp. 84. n. 9. 10. 11. 12. & 14.*

11 Est bigamus, ille qui duxit virginem, & post adulterium eam cognouit, siue scienter, siue ignoranter, etiam Ecclesiâ præcipiente, & licèt illa vi cognita sit in adulterio, *ibid. nu. 15. 16. & 17.* Vtrum autem hæc irregularitas sit ex de-

ex delicto an non , affirmat doctor. *ibid. numer. 6.*

12 Clericus in sacris constitutus , vel professus , cum vidua cognita à priori viro , vel virgine contrahens , est bigamus similitudinarius. Secus de transeunte ad nuptias habente votum castitatis , vel de contrahente cum muliere tale votum habente, *lib. 7. disp. 85. à nu. 1. usque ad 12.*

*Blanditiæ.*

1 Blanditiæ principum & superiorum incutiunt metum viri constantis , quando insunt tacitæ minæ , ut quia princeps solet sæuire in suis blanditijs resistentes, *l. 4. disp. 7. n. 3.*

2 Blanditiæ non incutiunt metum leuem , ita ut eis extorta sint restituenda , ut solent meretrices facere cum verbis amatorijs. *lib. 4. disp. 11. nu. 1. & 2.*

*Bona.*

1 Bona subiecta restitutioni possunt alienari pro dote filia contrahentis matrimoniũ , vel ingredientis Religionem, *lib. 4. disp. 26. numer. 7.*

*Bulla.*

1 Privilegio bullæ concedentis receptionem sacramentorum à quolibet Sacerdote , non potest interesse matrimonio , qui non est proprius parochus, *lib. 3. disp. 19. n. 3.* Et bullæ cruciatæ , vel iubilæi privilegia sunt strictè intelligenda, *lib. 8. disp. 4. nu. 7.*

3 Virtute bullæ possunt commutari vora  
partim

partim in temporale belli subsidium, & partim in quæuis pietatis opera: non tamen sufficit minima pecuniæ quantitas, factâ reliquâ commutatione in opera pia, sed relinquitur arbitrio confessoris inspectis gravitate voti commutandi, ac facultatibus vouentis, *lib. 8. disp. 15. nu. 1.*

3. In bulla cruciata, vel iubileo vota censentur reseruatâ solum ea, quæ sunt summo Pontifici reseruatâ. Vnde vota, quæ commutari possunt virtute bullæ, sunt hæc; votum temporale castitatis, votum castitatis conjugalis, votum non petendi debitum, licet sit factum de communi consensu, votum conseruandæ virginitatis, quando constat non esse castitatis, votum non nubendi, quando non est factum in fauorem tertij, votum assumendi ordines sacros, votum disunctiuum, cuius altera pars est reseruatâ, vt castitatis, vel assumendi ordinis sacri, si nondum pars reseruatâ electa sit, votum assumendi habitum beatarum, votum ingrediendi ordinem militarium, dempto ordine D. Ioannis, votum ite perseverandi in religione, vt tempore nouitiatus liceat ex causa iusta egredi. Item votum religionis, vt non impleatur tempore præscripto, sed aliquam diu differatur; votum strictioris religionis, vt vouens ad laxiorem transeat erogatâ aliquâ elemosynâ in belli subsidium, quæ suppleat eum religionis strictioris excessum, vel additis cum hac elemosyna alijs operib. pijs, quibus suppleatur.

pleatur. Itē vota castitatis, vel religionis post Pontificis commutationem in materiam non reservatam. Itē vota castitatis emissa à coniugatis in omnib. casibus, in quib. potest Episc. dispensare. Item vota pœnalia castitatis & religionis etiã impleta conditione. Secus dicendū de votis in casib. in quib. potest dispensare Episcopus ratione solius necessitatis. Vnde nō potest cōmutari votū castitatis, quando post illud est contractum matrimonium, vt possit vouens petere debitum. *libr. 8. disput. 15. à numero. 3. vsque ad 10.*

Virtute bullæ possunt commutari omnia iuramenta religionis seu castitatis pœnalia, seu conditionalia, siue impleta conditione, siue non. Secus dicendū de iuramentis absolutis, *lib. 8. disp. 15. nu. 11.* Etiam potest commutari iuramentum, & votum simul, quando est factum iuramentum in confirmationem voti. Secus, si independenter à voto: & indubio præsumitur factum ad confirmatiouem voti, *lib. 8. disp. 2. nu. 23.* Quæ commutatio vororum potest fieri etiam post impetratam talem cōmutationem; aut dispensationem à Pontifice, & si negata sit ab illo, vel quando pœnitens se præsentauerat Pontifici de mandato confessoris nolentis cōmutare, siue non potentis, vel quamuis sciatur Pontificem numquam commutare, nisi in certa opera, vt menstruas confessiones, *lib. 8. disp. 14. nu. 7. & 8.*

§ Virtute bullæ potest commutari pœna  
pecu-

pecuniaria iam debita ex fractione voti pœnalis, vel etiam ex voto directo, vt si promisi quotidie dare certam eleemosynam, & aliquibus diebus non erogauit, *lib. 8. disput. 15. nu. 14.*

6 Durante bullâ vel iubileo, potest confessarius votum commutare dicens: Commuto tibi ex nunc hoc votum in id, quod quidam vir doctus iudicârit commutandum; & violans votum ante declarationem viri docti, non est reus illius, *lib. 8. disp. 15. nu. 15.*

7 Transacto iubileo possunt commutari vota ante illud emissa, nec tunc commutata, siue præcedenti generali commutatione, siue non, idem dicendum de dispensatione irregularitatis. Idem quando pœnitens memor fuit voti, & noluit tempore iubilei petere talem commutationem. Idem dicendum de eo, qui præmissâ sufficienti conscientia discussione nullius culpæ mortalis meminit, & ideo non fecit confessionem, impleuit tamen cætera opera in iubileo petita. Secus dicendum transactâ bulla cruciata, *lib. 8. disp. 15. à nu. 16. vsque ad 19.*

8 Intendens lucrari iubileum, & postea illud non lucratus est, manet absolutus à reservationis, & à commutatione votorum, si intendat lucrari iubileum tempore absolutionis. Idem dicendum de alijs dispensationibus virtute iubilei: quamuis confessarius commutârit vota non præscribens opera subrogata, & licet

licet voti non fuerit conscius confessarius, sed generaliter sic commutavit omnia vota, Idē dicendum si in confessione oblitus sit alicuius reservari. Secus, si non præcedat confessio: eò quod non habebat conscientiam peccati mortalis, *lib. 8. disp. 15. nu. 20. 21. & 22.* Et si tempore iubilei non fuit commutatio facta voti obliti, postea eò non obtento, non potest fieri, *ib. nu. 23.*

9 Intendens lucrari iubileum, & post confessionem minimè lucratus est, licet obtineat casum absolutionem, & votorum commutationem, nullam culpam committit, *lib. 8. disp. 15. nu. 24.*

10 Commutatio votorum virtute bullæ, vel iubilei, vt fiat, necessariò non requiritur confessio, *lib. 8. disp. 15. n. 25.*

11 Bullæ cruciatæ priuilegia non expirant morte Pontificis, *lib. 8. disp. 28. nu. 93.* Et non censentur reuocata per iubileum, quod conceditur vigesimo quinto anno, & ita fuit defensum à Doctore anno 1600. vt ille testatur, *lib. 8. disp. 33. nu. 10.*

12 Virtute bullæ cruciatæ est eligibilis cōfessor semel approbatus ab Ordinario, cuius licentia occultè est reuocata, ita vt sit communis error. Idem dicendum, si sit irrita ob defectum occultum communiter ignoratum, & idem de parcho, cuius beneficij collatio fuit irrita ob defectum communiter latentem, *lib. 8. disp. 34. nu. 14.*